ctum eſt de iudicibus probis, & practicis: nam etiam in ciuilibus videmus ſententias bene latas aliquando in peius reformari, l. 1. ff. de appell. nec eſſet miraculum, quòd vnus ex iſtis Doctorellis, quibus in centum annos euenit aliquis ſiue appellationis, ſiue reuiſionis caſus, iudicaret oculis clauſis aliquam torturam eſſe malè illatam, exemplo ſit Doctor ille, qui iudicando in cauſa appellationis reuocauit ſententiam Illuſtriſſimi, & integri viri Domini Hieronymi Mentuati, qui Doctor poſtea in motiuis interrogatus de cauſa, & cur ita reuocaſſet, aiendo malè iudicatum, & benè appellatū, reſcripſit, quod pars, contra quam pronunciaſſet, quereretur de ſua fortuna, vtpotè inferendo, quia talis pars erat malæ, & prauæ ſortis, & fortunæ, ita ſententiam in contrarium reportaſſet, non quia ius non foueret: extant adhuc litteræ illæ ſubſcriptæ, & ſolito ſigillo ſigillatæ. Adde infra hac eadem quæſtione, verſicul. & in hoc propoſito in principio; vide in hoc articulo latè per Menoch. de arbitrar. Iudic. libro ſecundo, cent. 4. caſ. 340. & vtique exiſtimo in tali caſu iudicari poſſe, prout de illo, qui rei licitæ operam dabat, & hominem interfecit. *Drogh.*

f *Vbi non ſequatur mors rei.*] De hoc etiam fuſius vide per practicam Carrer. ſub 200. vbi de alijs quæſtionibus etiam in materia. Item de pœna Iudicis torquentis aliquem ad tumultum populi ſedandum, vt per eū relatiuè, num. 204. *Giac.*

5 g *Debet autem Iudex.*] Adde † videndum Gabriel. libr. 7. commun. concl. concluſ. 17. ubi ponit multas limitationes, quando quis poſſit torqueri, antequam poſſet de delicto, uide etiam Crauet. conſil. 260. numer. 4. & conſil. 287. column. 2. *Baiard.*

h *Vt dicit Brun.*] Et in furto dicit Maſcard. concluſion. 329. *Roſ.*

i *Abſque eo quod aliter conſtet.*) Hoc uidi ſeruari, ſed caueant Iudices modo, quo ſupra, q. 8. uerſic. ſcias tamen q. 60. uerſ. ſolet dubitari. *Drogh.*

K *Appareat.*) Adde, ut per Crau. conſ. 260. in princip. & num. 4. ubi plenius concord. alleg. Adde per eundem Crauet. conſil. 287. col. 2. in princip. quem ſemper uide eadem col. ad finem, & per Carrer. in pract. criminal. ſub numero 188. *Giach.*

l *Senatus iuſſerit torqueri.*) Hoc ideo fortè, quia Senatus procedit ſecundum conſcientiam, ſupra quæſt. 63. uerſic. tu ſcis in fine. *Drogh.*

m *Conſiderare.*) Et Crauet. conſil. 41. col. fin. conſiderauit hoc, uti æquiſſimum, & efficaciſſimum fundamentum ad euitandum torturam, & idem conſ. 117. col. fin. *G.*

Conſiderare.) Adde Crau. in conſ. 137. nu. 11. ubi idem te-
6 net quod quando ingeritur † pœna pecuniaria non eſt ad torturam procedendum; ſed contrarium tenuit Bald. in l. 2. C. de exhib. reis, Franci. Marci. in deciſ. 906. num. 15. part. 1. & & Paul. Girlan. in tract. de quæſt. & tortura, quæſt. 7. numero 6. cum ſequen. ubi impugnat rationem hic per D. Clarum adductam, quod non ſit deueniendum ad torturam, ubi non adeſt pœna corporis afflictiua, quia maior pœna infligeretur
7 in perquirendo, quàm in condemnando, dicens, quòd in materia torturæ non debemus attendere ad finem cauſæ, ex qua venit ſoluenda pecunia, ſed ad principium, conſiderando eius naturam, an oriatur ex contractu, uel quaſi, quo caſu regulariter non eſt locus torturæ, etiam quod aliter ueritas haberi non poſſit; aut ex delicto, uel quaſi, & tunc poteſt inferri tortura, quæ fuit inuenta in cauſis criminalibus contra culpabiles, etiam doloſos, uti remedium, etiam extraordinarium, quoties deficiunt plenæ probationes, vt notat Baldus in l. prima, C. quorum appellat. & credo hoc procedere in vilibus perſonis, & in quibus cauſis ſit locus torturæ, uide Carterium in l. obſeruare, numer. 179. ubi latiſſimè.

nam [f] vbi non ſequatur mors ipſius rei, non ſolent Iudices puniri pœna capitis, ſed tantum pœna extraordinaria. In Regno autem Neapolitano adeſt conſtitutio imponens iudici iniuſtè torquenti pœnam carceris biennalis, & publicationis tertiæ partis bonorum, quam fuiſſe executam contra quemdam aſſeſſorem refert Grammatic. conſil. 15. in fin. vbi in facti contingentia ita conſuluit. Sed in omnem caſum debent Iudices cautè, & conſideratè ad torturam reo infligendam procedere: nam ſi reus in tortura ei indebitè illata moreretur, fortè poſſet eo caſu ſeruari communis opin. quamuis ego etiam hoc caſu illam non ſeruarem, niſi appareret, quòd Iudex aut propter inimicitias, aut propter pecuniā, vel aliter corruptus id feciſſet: tunc enim non excuſarem illum à pœna ordinaria homicidij. Quid autem ſi Iudex in tortura modum exceſſerit, ita vt reus ſit mortuus: dixi infra, verſ. Iudex autem.

2 *Debet [g] autem Iudex ante omnia conſiderare primò, vt conſtet de delicto, iuxta ea, quæ dixi ſupra quæſt. 4. & q. 55. verſ. poteſt etiam. licèt hoc malè ſeruetur in practic. [h] vt dicit Brun. de indic. & tortura, fol. 57. numero 11. in fine: quia ſtatim quod aliquis dicit ſibi aliquid ſubtractum fuiſſe, [i] abſque eo quod aliter conſtet, torquentur ſuſpecti de furto: quòd etiam dicit hodierno tempore ſeruari Practica Caſoni, fol. 67. num. 6. Sed certè iſti Iudices, & qui conſideratè procedunt, neminem ponunt ad torturam, niſi prius de delicto ipſo appareat, vt dixi in locis præallegatis. Et ideo miratus ſum, quòd [l] Senatus iuſſerit torqueri quendam Simonem Hebræum, qui delatus fuerat, quod puellam Chriſtianam vitiaſſet, & deinde ad occultandum ſcelus, morti tradidiſſet, licèt de cadauere non conſtaret, 17. Februar. 1555. A. C.*

3 *Prætera debet [m] Iudex conſiderare, an delictum tale ſit, pro quo quis de iure ſit tormentis ſubijciendus,*

8 Item † adde, quod in cauſa ciuili, quando habet crimen annexum, poterit deueniri ad torturam, ut ſi agatur depo-
9 ſiti † & negetur per debitorem, Abbas in capitulo primo de depoſito, Pariſ. de ſyndicatu in capit. an in cauſa pecuniaria, in princip. Gomeſ. de delict. capit. 13. numero 20. & idem Pariſ. in uerſ. executio col. final. dixit,
10 quòd † cedens bonis, qui eſt ſuſpectus de occupatione bonorum, poteſt torqueri, ut bona exhibeat, & prædictam tenet Franch. in deciſ. 276. num. 12. & Girlan. in tractat. de tortura, quæſtion. 7. quòd procedit, ſi Iudex cauſæ eſt talis, qui poſſit tormenta inferre, ita Lucas de Penn. in l. vorax column. 3. in fin. C. de numer. actuar. libr. vndecimo, & dicit etiam Bald. in l. ſicut C. de falſis, quod moderatè proceditur, ſed hoc non
11 habet locum in Regno † Neapolitano, in quo per capit. Regni, tormenta, quis torqueri non poteſt, niſi in criminibus pœnam vltra relegatione infligentibus, vt per Ioan. Anton. de Nigris in d. cap. tormenta, numero 13. Grammatic. voto
12 15. numero 12. & an etiam † in cauſa ciuili teſtis varius, vel vacillans poſſit torqueri, vide Marſilium in l. de libero crimine, numero duodecimo, ff. de quæſt. & Girlan. vbi ſupra num. 3.

13 Item adde, † quod tortura locum non habet, quando de crimine ciuiliter ageretur, vt habetur in l. maritus, ff. de quæſt. Bald. in conſilio 6. factum tale eſt, Quidam nomine Blaſius volumine 5. & Crauett. conſil. 137. numero duodecimo fallit in cauſa falſi ciuiliter mota, l. ſicut, & ibi Bald. C. de falſ. Alexand. in l. Diuus, ff. de quæſt. & Par. de Puteo in tractat. de ſyndicat. in verb. an in cauſa pecuniaria; ſed contrarium tenet Carrer. in practic. criminal. in l. obſeruare numer. 179. verſic. quod mercatores, & credo hoc verum eſſe, quia ſi in cauſa ciuili, quando habet crimen annexum, poteſt deueniri ad torturam, ergo multo magis poteſt deueniri in criminali, etiam quod ciuiliter agatur, dummodo ſit Iudex, qui habeat auctoritatem torquendi, & moderatè procedatur, vt ſupra dixi.

Item

14 Item adde, † ſi extat indulgentia Principis, ſaluo intereſſe partis ciuiliter, quod ſi pars petat intereſſe ciuiliter agendo, ex quo crimen habet annexum, quomodo ad probādum delictū, & bona, poterit deueniri ad torturam, Carrer. in pract. criminal. in l. obſeruare, num. 179. *Baiard.*

n *Ingeratur pœna corporalis.*] Farinac. d. tract. crim. vol. 2. q. 38. num. 6. & latius q. 42. nu. 3. 6. & 9. & ſeqq. *Roſ.*

o *Pœna pecuniaria.*] Adde, ut per Crauett. in conſ. 137. num. final. Vide etiam per Carrer. in practic. crim. poſt num. 179. vbi plenè pertractat, et ad ſaturitatē materiam iſtā atque limitat, & declarat. *Giach.*

p *Quam eſſet inferenda ex ipſa condemnatione.*) Adde Aym. Crauett. conſil. 41. num. 8. & 9. & conſ. 137. num. 10. Boſſ. de indic. num. 92. ſup. q. 21. verſ. fuga: Flam. Chart. in pract. interrogan. reorum libro 4. capit. 1. ibi fuſius, quàm alibi: nam modus probandi non debet eſſe durior ipſa pœna; nota tamen in practica, quia etiā ſi ſola pœna impoſita ſit funis, vel triremium, indiſtinctè proceditur ad torturam pro eruenda veritate, prout de ictibus funis ad pœnam habetur infra q. 70. verſ. plerunque etiā Alexan. conſ. 77. num. 8. ibi, quia reſpondeo, vol. 1. *Drogh.*

q *Communiter ſeruatur.*) Farin. ſup. num. 14. 19. & 25. *Roſ.*

Communiter ſeruatur.)
15 Adde † videndum Ioſeph. Ludou. in ſuis commun. concluſ. in tit. de conſuet. concl. 1. illat. 106. vbi atteſtatur de commu. obſeruantia in multis locis Italiæ, quod tortura adhibetur in delictis etiam minimis, & in cauſis damnorum datorum, dicens quod ipſe deuenit ad torturam in quadam cauſa duorum boum, qui occiſi fuerant; ſed tunc leuiter reus torquetur, vt ait Paul. Girlan. in tract. de tortur. c. 5. dicit tamen, quòd in omnibus caſibus eſt attendenda qualitas perſonæ. *Baiard.*

r *Niſi in ſubſidium*] Farinacius in dict. volum. 2. q. 40. nu. 3. vſque ad 9. *Roſ.*

16 ſ *Et ideò ſi aliter.*] Adde † videndum Couarru. practic. quæſt. capit. 23. colum. 24. vbi ponit tres limitationes limitatur etiam niſi torqueatur, vt oſtendat ſocios mandatores, & complices, nam poteſt torqueri, etiam quod conſtet de delicto. Carrer. in l. obſeruare numero 188. verſic. limita niſi torqueatur. *Baiard.*

t *Reus torqueri non debet.*] Tu hoc tribus modis limita, vt per Didacum pract. quæſt. cap. 23. col. 24. Item etiam limita, niſi torqueatur, vt oſtendat ſocios mandatores, & complices: nam poteſt torqueri, non obſtante, quòd conſtet de delicto: in caſibus tamen, in quibus poteſt interrogari, vt per Carrer. in pagina 161. & 539. & tunc ſerua cautelam, de qua in text. infra. *Giach.*

ſcilicet quòd pro eo [n] ingeratur pœna corporalis. Nam vbi ingeritur, niſi [o] pœna pecuniaria, vel alia corporis non afflictiua, non eſt ad torturam procedendum. Cum enim tortura ſit grauis afflictio certè non debet maior pœna inferri reo non conuicto, nec condemnato, [p] quā eſſet inferenda ex ipſa condemnatione, vbi eſſet de crimine conuictus, vel confeſſus. Vbi verò pœna corporalis imponitur, ſolet indiſtinctè ad torturā procedi. Et licet aliqui tenuerint, quòd nō ſit locus torturæ niſi in grauioribus maleficijs, nihilominus [q] communiter ſeruatur, quòd etiam ſuper leuib. fiunt torturæ, prout atteſtatur Albert. in l. edictum, numero 4. C. de quæſt.

5 *Debet etiam iudex aduertere, an delictū aliter quā per torturam probari poſſit: nam regulariter ad torturam deueniri non debet, niſi in ſubſidium, quando ſcilicet aliæ probationes haberi non poſſunt: & ita concludunt omnes Doctores, vt dicit Practic. Conradi, folio 289. poſt numerū 6. & ita obſeruat conſuetudo, vt dicit Angel. in l. fin. poſt nu. 4. C. de quæſt. Boer. deciſ. 163. num. 1. [ſ] Et ideò ſi aliter conſtet de delicto, reus [t] torqueri nō debet. Et hanc dicit eſſe communem opi. Marſil. in l. 1. in principio, nu. 7. ff. de quæſt. quem refert Didac. practic. q. 23. fol. 166. col. 3. vbi & id ſubdit, quod iudices aliter obſeruantes tenentur in ſyndicatu: quem refert Practic. Conradi, folio 288. nu. 2. Idem etiam dicit Marſ. in pract. crim. §. nunc videndū, num. 25. & conſil. 51. num. 32. quem refert Pract. Iodoch. c. 35. nu. 3. & Pract. Carer. fol. 160. poſt num. 188. verſ. item ad torturam.*

6 *Et ideò [u] dici ſolet, quòd iudices facilius debent procedere ad torturam in delictis clam cōmiſſis, quam in ijs, quæ palam commiſſa ſunt. Et hæc eſt communis regula, vt dicit Igneus in l. 1. §. ſerui app. num. 75. ff. ad Syllan. nam ea, quæ in occulto committi ſolent, difficilius probari poſſunt, vt eſt [x] venenatio, falſum, adulteriū, & ſimilia: merito in illis facilius eſt ad torturam deueniendū.*

7 *Scias [y] etiam quod plerunque iudices, licet delictum ſit plenè probatum, etiam per teſtes de viſu ſolent nihilominus adhibere torturā; non vt amplius cōſtet de delicto, ſed ſolum vt reus fateatur delictum, de quo conuincitur, ne per appellationem illud, quod*

u *Et ideò dici ſolet.*] Adde Menoch. de arb. iud. caſu 116.
17 vbi ponit decreta, & octo caſus † difficilis probationis, licèt, vt dicit ibi in principio idem Menoch. remittatur arbitrio iudicis, qui caſus dicantur difficilis probationis.

18 Item † adde, qnod de facili adhibenda eſt tortura in delictis nocturnis, nam quæ fiunt de nocte, dicuntur occultè, & ſecretè fieri. Grammat. in vot. 21. nu. 5.

19 Item adde, quòd † in his delictis difficilis probationis ſufficiunt leuiores probationes, imò coniecturæ. Bartol. in l. ſi quis ex argētarijs, ff. de edend. Et Grāmat. in d. vot. 21. nume. 4. Alex. in conſ. 24. nume. 6. vol. 2.

20 Item adde, ſi † mulier marito mortis paraſſe inſidias, vel quolibet alio genere voluntatem occidendi habuiſſe inueniatur, vel fortè maritus eo modo inſectetur vxorē, tunc omnes de familia, tā mariti, quàm vxoris (qui tamen tunc temporis domi fuerint) ſine alia defenſione torqueri poterunt, cū ſit veriſimile illos ſcire factum, text. eſt in capitulo ſi fortè mulier deponit, diſtinct. 1.

21 Item adde, † ſi extat indulgentia Principis (ſaluo intereſſe partis ciuiliter) quod ſi pars petat intereſſe ciuiliter agendo, ex quo crimen habet annexum, quò ad probandū delictum, & bona, poterit deueniri ad torturam, Carrer. in pract. crim. in l. obſeruare nu. 179. *Baiar.*

x *Venenatio, falſum adulterium, & ſimilia.*) Adde, quòd iſta commemorauit Bald. in l. 3. C. de epiſc. aud. ſubiungens hoc dictum eſſe menti tenendum, quod & reaſſumpſit D. Alexand. conſ. 77. numero quinto. Et habetur per Boſſium in titulo de indic. & conſidera. ante torturam, numer. 200. vbi inquit, quod ubi ſumus in delictis ſecretis, & coniurationibus, falſitatibus, & ſimilibus, tunc iudex poteſt animoſus arbitrari eſſe deueniendum ad torturam, qnam in alijs, cum in illis acerrima fieri debet indagatio. Crauet. conſ. 6. col. 3. verſ. 2. & dixi ſupra in §. falſum, verb. pœna falſi. Adde etiam per Carrer. in pract. crim. nu. 183. *Giach.*

y *Scias etiam quod.*) Cartar. vbi ſup. nu. 73. & c. 2. num. 69. Farin. d. q. 40. nu. 4. 6. 7. 8. & 9. *Roſ.*

22 *Scias etiam quod plerumque.*] Adde, quòd † iſta cauſa, vt reus non poſſit appellare vti conuictus, & confeſſus, non deberet mouere iudices, cum per totam Italiam communiter ſit prouiſum per ſtatuta Terrarum, ut in ſententijs capitalibus nō liceat appellare: ita ait Grammatic. in vot. primo ſic allegato; & aduertendum eſt, quod idem Baldus in l. qui ſententiam in fin. C. de pœn. mutauit ſententiam, & contrarium tenuit, dicendo, quod ſi dilucidè quis ſit conuictus non debet torqueri, quem refert, & ſequitur Brunus in Tractatu de indicijs, quæſtione quinta ſecundæ partis, numero decimoſexto, vbi dicit, quòd hoc putat eſſe de iure uerius, & ſequendum, &

ego in practica non vidi conuictum torqueri pro habenda cõfeſſione delicti, de quo eſt conuictus, ſed ad ſciendum complices, ſocios, fautores, & auxiliatores, proteſtatione præmiſſa in forma. *Baiard.*

z *Suſpendi contingat.*] Vbi igitur extat ſtatutum, quòd in criminalibus non admittur appellatio. Si iudices ponunt reum ad torturã, tunc dubio procul malè faciunt, vt expreſsè dicit pract. Carrer. ſub num. in text. allegato, in verſ. nam iudices, quod nota, & tene menti. *Giach.*

a *Tota penè Italia.*] Cartar. ſupra numer. 69. Farinac. ſupra numer. 26. *Roſ.*

b *Veritas eſt.*] Adde ſupra queſtione vigeſima prima, ver. dictum ſocij, ibi, & tunc non poteſt, infra hac eadem quæſtione, verſ. ſucceſſiuè quæro, in fin. quæſt. 96. verſ. quæro nunquid, cum uerſ. ſequ. & hoc ſemper obſeruatũ etiam apud Antiquos reperio: Iuſtinus hiſtoriarũ libro ſecundo Interfectorem fratris comprehẽdit, iubet, qui cum per tormẽta conſcios cædis nominare cõgeretur, omnes amicos Tyranni nominauit, & itẽ libr. 22. ſaluti ei fuit quòd ſocij capti, tortique de illo negauerunt: & inquantũ hic dicitur de proteſtatione fienda, quod abſque præiudicio confeſſi, & conuicti iudex ad talem torturam procedit: aduerte ſemper ne extra caſum veræ, vel fictæ cõtumaciæ, vel habita pro vera, vt in iam bannito, procedas ad torturã contra reum ſub tali proteſtatione, ut eſt, quando reus confitetur cõditionaliter, negatiua non præmiſſa: modo quo ſupra quæſtio. 55. verſ. cautius igitur; ſed dicit, confiteor, cum tali qualitate ſic, & ſic, & non aliter, nec alio modo; quia etiamſi tunc ex tali confeſſione puniri poſſit, non probata per Reum qualitate, quæ ipſum excuſare poſſit, tamen ſi procederet ad torturam contra ſic confitentem, veniret ſimpliciter abſoluẽdus, ſi negando perſiſteret: modo, quo per Boſſium tit. de confeſſ. numer. 27. cum ſequentibus, & an cum quis negando perſiſtit, poſſit nihilominus vti coniunctus morte mulctari: Marſil. quod ſic, ſing. ſuo 72. poſt medium, ſed in contrarium, & melius dixit Grammat. deciſ. 8. ſub numero 4. verſ. aduertendum tamẽ, quod procedit etiam in indicijs indubitatis, ibidem num. 8. *Drogh.*

Veritas eſt.] Cartar. ſupr. num. 82. & 88. & c. 2. num. 57. & ſeq. Farin. q. 4. nu. 10. *Roſ.*

Veritas eſt.] Adde, quòd † quando interrogatio fit de ſocijs, complicibus, ſiue mandatoribus, debet fieri in genere, & non in ſpecie, vt ſi talis interfuit, vel mandauit, non nominando aliquem, ne fiat ſuggeſtio: niſi adeſſent indicia manifeſta, quia tunc poſſet deueniri ad nominationem, Carer. in l. obſeruare, numero 198. *Baiard.*

fuerit pronunciatum, [z] *ſuſpendi contingat. Et dicit Bald. in l. 1. numero 9. C. de iuram. calumn. quod ita ſeruant iudices de conſuetudine, quem refert Paris Put. de ſynd. folio 453. num. 3. Idẽ etiam dicit Bald. conſ. 364. numero 3. libro 3. & in l. 2. numero 9. C. quorum app. nõ recip. quem refert Carrer. folio 21. numero 34. Dicit tamen. Ant. de Alexandr. in qnibuſdam. Apoſtil. ad Bartol. in l. 1. §. ſi quis vltro, ff. de quæſtion. quod hæc eſt communis practica, & quòd ita cõmuniter obſeruatur, prout illum refert Grammat. conſilio 1. numero 3. & voto 1. numero 3. & ſuper conſtit. Regni. folio 24. numero 33. Dicit etiam Igneus in l. & ſi certus numero decimo ff. ad Syllan. quod hanc praxim tota* [a] *penè Italiæ, & maximè inerudititi cauſarum criminalium iudices, & aſſeſſores obſeruant, ſub colore, quòd velint reos interrogare ſuper ſocijs, & complicibus, vel ſuper alijs criminibus. Et dicit Paris Puteus de ſyndic. folio 462. num. 9. quòd hac cautela vtuntur iudices malitioſi, quem refert pract. Carrer. folio 161. verſiculo limita niſi. Hanc tamen practicam laudat Bald. in l. 1. & 2. quem ſecuntur communiter omnes criminaliſtæ, vt dicit Foller. in pract. crimin. canon. folio 258. numero quimó. Et dicit Papo libro 24. titulo 9. arreſto primo, quòd parlamentum Pariſien. conſueuit reos etiã conuictos tormentis ſubijcere.*

8 *Veritas* [b] *eſt, quod in hoc Ducatu rei conuicti, vel confeſſi, vel condemnati* [c] *interrogantur, & torquentur ſuper ſocijs, & ſuper alijs criminibus, ſed non interrogantur ſuper principali delicto contra ſeipſos, vt confiteantur, & ſic non ſeruatur iſta practica, de qua ſup. dictum eſt, prout neque in Francia illam obſeruari dicit Chaſſ. ſuper conſuet. Burgund. fol. 48. poſt numer. 40. ſubdens, quòd male faciunt qui id faciunt.* [d] *Quando autem tales rei torquentur (vt dixi) ſuper ſocijs, & complicibus, & ſuper alijs criminibus debet iudex prius proteſtari, quòd id facit ſine præiudicio confeſſi, & cõuicti criminis, vel (ſi ſint condemnati) ſine præiudicio condemnationis. Et hæc eſt communis obſeruantia, vt dicit Cæpol. conſ. 32. col. pen. verſ. nec poteſt dici, quem refert Gomeſ. c. 13. delict. poſt num. 20. verſ. & in tantum, & Boſſ. in titul. de ſent. nu. 70. & dicit Alber. in Rub. C. de quæſt. poſt numero 9. ꝙ fatuus eſſet iudex, qui torqueret aliquem, contra quem eſſet probatum ple-*

c *Interrogatur.*) Qualiter autem fiat interrogatio in tortura tam de ſocijs, & mandatoribus, quàm etiam de alijs delictis, vide per pract. crimin. ſub numero 198. vbi non in ſpecie, ſed in genere, niſi adſint indicia manifeſta, debet fieri interrogatio. De alijs autem delictis non poteſt interrogari, niſi indicijs præcedentibus, & licet conſuetudo ſeruet contrarium, tamen non valet talis conſuetudo. Limita tamen, vt per eum ibid. *Giach.*

d *Quando autem.*] Farin. d. q. num. 19. 20. 21. & nu. 26. & ſeq. *Roſ.*

Quando autem tales rei torquentur.) Adde de iſta
24 proteſtatione † vidẽdum etiam Gramma. deciſ. 96. vbi quis fuit interrogatus de eo, de quo erat conuictus cum iſta proteſtatione, & nihilominus fuit cõdemnatus ad pœnam extraordinariam, licet ſtetiſſet in negatiua, & tamen ſecundum Cæpoll. in cõſ. 32. hic allegato, non debet reus interrogari ſuper eo, de quo eſt conuictus, ſed de alia materia, idem tenet poſt eos, quos allegat Fab. Tim. in adnotat. ad deciſ. Lucenſ. Magon. deciſ. 89. num. 12. &
25 de tali † obſeruantia, ꝙ huiuſmodi proteſtatio ſit adhibenda, & atteſtatur Grammat. vot. 1. & Folle. in pract. crim. verſ. rei indurati, num. 3. & Sim. de Præt. conſ. 104. num. 39. Boer. deciſ. 163. num. 13. & quid operetur iſta proteſtatio, vide Deci. conſil. 93. nume. 74. volum. 2. Et ibi numero 20. ſi proteſtatio fuiſſet facta, quod non intendebat eum interrogare circa talem rẽ, quia illud habebat pro certo, vide etiam Bertaz. conſilio 333. nu. 6. vbi dicit, quod iſta proteſtatio eſt vana, quando reus in tortura interrogatur ſuper delicto proprio, nõ autem ſuper alio; vt ſuper ſocijs, uel mandatoribus, & in conſ. 27. num. 9.

26 Item adde, † quòd quando condemnatus, ſiue conuictus torquetur cum prędicta proteſtatione, debent fieri interrogatiogationes extenſæ, vt dicat ſocios, complices, & fautores, & non ſub illis verbis, ſcilicet & ad opportunam Domini interrogationem reſpondit, &c. vt ſolent facere multi iudices, quia ſi reus reſpõderet ſuper delicto principali, *Io nõ hò fatto queſt' homicidio*, & in negatiua perſiſteret, per talem interrog. obſcuram videretur receſſum à proteſtatione, etiã quod fuiſſet interrogatus ſuper delicto principali, nec ſtandum eſſet iudici, quid in interrogatione comprehenderetur, c. quoniã contra, de probat. & Maſcar. de prob. concl. 949. vol. 2. maximè quando ignoramus, ꝙ in interrogatione dictum fuerit, ex reſponſione clara dignoſcitur, vt per Rim. ſen. conſ. 702. nu. 12. volu. 4. & de prædict. latè habetur per Cart. in tract. de execut. ſent. contum. c. 2. nu. 76. cum ſeq. *Baiar.*

Cum

e *Cum proteſtatione.*] Cartar. d. c. 2. n. 67. Farin. d. q. n. 19. 20. & 21. & 26. ac 27. & 28.

27 f *Dixi etiam.*] Adde † videndum Carrerium in practic. crim. in l. obſeruare, ſub num. 184. ubi habetur, in quibus caſibus Iudex, non præcedentibus indicijs, torquere ualeat, uide etiam Menoch. de arbitr. Iudic. q. 84. *Baiard.*

g *Indicia.*] Adde hic, indicijs non præcedentibus, quando torquere ualeat Iudex, uidendum per practic. Carrer. pag. mihi 151. 152. & 153. & per Menoch. de arbitr. iud. q. 84. Item hic ſcias, quod iniuſtè tortus fugiens de carceribus, non habetur pro confeſſo, nec inde puniri debet, ita per plura conſultus reſpõdet Alexcius conſil. 144. libro 2. *Giach.*

h *Vt communiter dicitur.*] Farinac. volum. 4. ſuæ prax. q. 83. c. 1. num. 1 & 4. non per interrogationem ſuggeſtiuè ibi c. 4. & vol. 2. q. 37. num. 1. & ſeq. *Roſſ.*

i *Ne prætextu arbitrij*) Et quod vigore cuiuſcunque ampli arbitrij, quòd haberet Prætor, vel Commiſſarius circa maleficia, non poſſit quempiam ponere ad torturam, ſi non habeat legitima indicia, habetur per dom. Iaſ. in l. milites, num. 2. C. de teſta. l. ſi ſic num. 24. & in l. 1. n. 2. C. de Sacroſ. Eccleſ. & per Marſil. in pract. crim. §. 2. num. 6. & in §. conſtãte, num. 27. Adde Rimin. conſ. 6. num. 15. Item adde, vt per Carrer. in pract. crimin. pagin. mihi 150. col. 1. verſ. Amplia etiamſi officialis habeat arbitrium. *Giach.*

Ne prætextu arbitrij)
28 Adde † videndum Oſaſc. deciſ. 79. & Burſat. in conſil. 201. vbi latiſſimè de arbitrio conceſſo iudici circa torturam iuris ordine non ſeruato, prout ſibi placuerit, & videbitur, & cum alijs ampliſſimis clauſulis, & quomodo tale arbitrium intelligatur conceſſum, & quid poſſit facere Iudex, & ſi Prin-
29 ceps † aſſerens ſe habere informatam conſcientiam, mandaret aliquem torqueri poteſtate abſoluta, & non præcedentibus indicijs, mortaliter peccaret, & Iudex tali reſcripto aſſentire non debet, Grammat. in conſ. 45. num. 32. voto 38. & de communi atteſtatur Io. Ant. de Nigris in c. ſubditorum noſtrorum, num. 148. cum alijs ſeqq. & Viui. opin. 638. n. 8. vol. 2. Vide etiam quæ poſui ſupra quæſt. 31. verſ. arbitrio, atque ballia, tamen in practica contrarium ſeruatur, quia ferè ſemper Principi Iudices obediunt, ſiue adſint indicia, ſiue non.

K *Supra q. 31. verſ. Arbitrio.*) Adde ſup. q. 21. ver. ſi aliquis, vbi de hoc arbitrio, infr. hac eadem q. verſ. pen. ibi, caueant tamen. *Baiard.*

l *Debet igitur.*] Adde, ſi Iudex ſub prætextu arbitrij ſui ex

ne, niſi id facere [e] *cum proteſtatione, quod non intendit eum torquere ſuper probatis; Debetque facere, quòd talis proteſtatio appareat in actis aliàs enim vbi quis interrogaretur ſuper crimine ipſo, de quo eſſet confeſſus, aut conuictus, ſine tali proteſtatione, & in tormentis negaret, & perſiſteret in negatiua, diceretur purgaſſe indicia, & probationes contra ſe exiſtentes, & eſſet abſoluendus, vel ſaltem non poſſet in pœnam ordinariam condemnari. Vide quæ dixi infra verſiculo Illata reo. Debent etiam Iudices torquendo reos ſuper ſocijs, & ſuper alijs criminibus, moderatam torturam inferre, neque iuris terminos excedere, vt dicit Igneus in loco præallegato.*

9 *Dixi* [f] *etiam Iudicem animaduertere debere priuſquã reum tormentis ſubijciat, an contra eum ſubſint indicia. Regulariter* [g] *enim non eſt à tortura incipiendum,* [h] *vt communiter dicitur, teſte Zaſio conſilio 19. numero 31. in fine, libro 1. Et in hoc debet Iudex eſſe valde circunſpectus: quia ſi torqueret aliquem ſine indicijs, poſſet grauiter puniri in ſyndicatu. Vide quæ dixi infra verſiculo, dixi quoque. Et dicit Thom. de Piperara in tractat. de fama, numero 58. quòd caueant ſibi Poteſtates, & Iudices, ne prætextu arbitrij procedant ad tormenta ſine aliquo indicio: quia ſaltem vnum debent habere indicium, per quod moueatur animus ipſorum, quod accuſatus ſit culpabilis maleficij, de quo imputatur ſubdens, quòd licèt in procedendo poſſint omittere ordinem, & ſolemnitatem iuris, ex conſuetudinaria, & communi interpretatione arbitrij, non tamen prorſus poſſunt, vel debent omittere. Vide quæ dixi* [k] *ſupr. q. 31. verſic. arbitrio atque balia. Debent igitur omnino indicia præcedere torturam; & in hoc nemo diſcrepat, vt dicit Bologni. in addit. ad tractat. de tormentis, Guid. de Suzar. numer. 29.* [m] *Et ideo etiamſi poſt torturam illatam legitima ſuperuenirent indicia, non propterea tortura non præcedentibus indicijs illata legitimaretur. Et ita non tenent communiter Doctores, & Aduocati, vt dicit Albericus in l. maritus, nu. 4. ff. de quæſt. Vide quæ dixi ſupra, quæſt. 55. verſiculo ſi verò. Et hæc* [n] *concluſio locum habet non ſolum in minoribus delictis, ſed etiam in maioribus, & atrociſſimis,* [o] *imò etiam in crimine læſæ Maieſtatis prout etiam eo caſu atteſtatur eſſe communem opinionem Brun. de ind. & tortura, fol. 93. num. 6. quem refert Practica Conrad. folio 300. in princ.*

10 *Sed* [p] *pone, quod reus ſit ſolitus delinquere, & aliàs ſit malæ vocis, conditionis, & famæ: nunquid* [q] *poterit*

ceruice ſua procederet ad torturam, non valeret, quod ageret Roman. conſ. 376. quæſt. eſt Marſ. in conſil. 8. & 25. Foller. in pract. crim. in verb. dentur capitula, quod ſuffocauit vxorem, num. 25. *Baiard.*

30 m *Et ideo etiamſi poſt torturam.*] Adde, quod † idem tenet Boer. deciſion. 249. in princip. nec conualidaretur confeſſio, etiam quòd noua ſuperueniſſent indicia, gloſ. & Bart. in l. maritus, ff. de quæſt. Brun. in tractat. de indit. 2. part. verſic. quinto principaliter, num. 47. Gram. conſ. 21. numer. 19. & 20. & conſil. 37. num. 6. cum ſeq. & voto 6. numer. 10. cum ſequen. niſi poſt confeſſionem rei, indicijs non præcedentibus extortam ſuperueniret indicium cõfeſſionis extraiudicialis ipſius rei, nam tunc prima confeſſio conualidaretur, ſecundum Marſ. in l. queſtionis num. 66. de queſt. *Baiard.*

n *Et hæc concluſio.*] Cartar. de execut. ſenten. cap. fin. num. 62. Farin. d. q. 37. numero 83. & ſequ. *Roſſ.*

o *Imò etiam in crimine læſæ Maieſtatis.*] Contrarium videtur tenuiſſe ſupra in §. 1. verſicul. ſunt etiam, vbi dicit in atrocibus perueniri ſolere ad torturam, nulla data copia proceſſus, & tamen conſtat, quòd caſus læſæ Maieſtatis connumeratur inter atrocia delicta, d. verſic. ſunt etiam; cum hoc tamen dicto concordat Capyc. dec. 126 num. 4. & pro iſta diffinitione, quod confeſſio facta, indicijs non præcedentibus ſit nulla in tortura, concordat Alex. conſ. 180. ſub num. 10. verſic. quinimo, vol. 2. conſ. 52. vol. 3. Mat. Felicianus inter conſilia crimin. diuerſ. conſ. 47. n. 28. *Drogh.*

p *Sed pone.*] Far. tit. de del. vol. 1. q. 21. n. 22. *Roſ.*

31 *Sed pone quod reus.*] Adde, quod † hæc ſola præſumptio non ſufficit abſque alijs adminiculis, cum ſit indicium remotum, Blanc. in l. fin. numer. 246. ff. de quæſt. quem ſequitur Brun. conſil. 115. numer. 66. tomo 2. conſilio criminal. diuerſ. in folio, & Paul. Harnut. Theorem. 23. numero quarto, vbi dicit, quod hæc præſumptio eſt ſicut herba betonica, quæ cetera contra eum indicia non concludentia facit haberi pro cõcludentibus, vide tamen Duenn. regul. 301. vbi limitat, ſed ad prædicta, vide omnino Farinaccium, quæſtione tertia, numero vigeſimo. *Baiard.*

q *Sine alijs indicijs poni ad torturam.*] Caſus autem, in quibus inquiritur, etiam non præcedentibus indicijs habes ſupra quæſt. 8. in princip. quæſtion. 20. in princip. queſtione 84. verſiculo, ſed hic incidenter; aduerte tamen quod caſu quo contra reum non adſint indicia, ſi reus interrogetur

tene-